DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MORBO HYSTERICO

SIVE

HYPOCHONDRIACO.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
Morbo Hyſterico ſive Hypochondriaco:

QUAM

ANNUENTE DEO O. M.!

EX AUCTORITATE REVERENDI VIRI
D. GULIELMI WISHART S. T. D. ACAD. EDIN. PRAEF.

NEC NON AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN MEDICINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME
CONSEQUENDIS ERUDITORUM EXAMINI SUMMITTIT

LACHLANUS FRASER SCOTO-BRITANNUS

A. D. III. KAL. JUN. HORA LOCOQUE SOLITIS.

Quamlibet omnis retro antiquitas ſymptomata illa, affectibus hyſtericis adnaſcentia, utero ſemper vitio verterit, ſi tamen affectiones hypochondriacas vulgo dictas, cum mulierum hyſtericarum ſymptomatis conferamus, vix ovum ovo ſimilius, quam ſunt utrobique phaenomena, deprehendemus.

SYDENH. Diſſert. epiſt. ad Guliel. Cole.

EDINBURGI,
APUD T. ET W. RUDDIMANNOS. M.DCC.L.

VIRO PRAESTANTI

D. ALEXANDRO MONRO,

ANATOMES ET CHIRURGIAE APUD EDINENSES
PROFESSORI CELEBERRIMO;
PRAECEPTORI MEO PLURIMUM COLENDO:
QUI MEDICINAE STUDIOSOS JUVENES,
PRAECEPTIS, EXEMPLO, ET AMORE,
ALIT, INSTRUIT, FOVETQUE;
CUJUS SUB AEDIBUS ATQUE AUSPICIIS
ARTIS MEDICAE ELEMENTA DIDICI:

NECNON,

GEORGIO UDNEY,

MERCATORI LONDINENSI;
QUI, CUM A NATURA ID HABEAT OPTIMUM,
UT QUAMPLURIMIS PRODESSE VELIT,
MEOS CERTE OMNES MULTIS NOMINIBUS
SIBI DEVINCTISSIMOS TENET:

TENTAMEN HOCCE MEDICUM,
OBSERVANTIAE SUMMAE
GRATIQUE ANIMI
INDICIUM,
OBLATUM VOLUI,

LACHLANUS FRASER.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
Morbo Hyſterico ſive Hypochondriaco.

CUI mente ſana in corpore ſano frui contigit, beatum profecto, quoad res ferunt mortalium, praedicare licet. Ea autem eſt corporis noſtri ſors atque conditio, ut ne ullam quidem hujus partem vel minimam, quae doloribus non ſit obnoxia, aut medentis ope non egeat, reperire fas ſit. Hinc naſcitur uberrima malorum ſeges; quibus tollendis minuendiſve ars medica invigilat. Quum vero alia ex his graviora aliis ſint, magiſque acerba, medici eſt eorum potiſſimum cauſis, quae hominis vitam moerore luctuque obruunt, eruendis amoliendiſque, ſtudium ſuum atque operam locare. Poſtulante igitur officii noſtri ratione, ut doctrinae medicae ſpecimen qualecunque publici juris faciam, de morbo hyſterico ſive hypochondriaco pauca quaedam proferre liceat; nec enim ſaevior hoc quiſquam, aut popularibus noſtris infenſior, obvenit: quod ſi errores quidem in ea, quae dicenda ſunt, irrepſerint, unde medice parum legentibus egiſſe videar, boni ſaltem civis partes explere animus eſt.

Morbi definitio.

MORBUS igitur hicce, in foemellis hyſterici, in maribus vero hypochondriaci, nomen obtinens, (etenim unum tantum re vera morbum duplici hoc nomine inſigniri plerique omnes, qui hodie ſunt, medici conſentiunt) duratione longus eſt; ex eorum ſcil. numero, quos medici chronicos, ſive diuturnos, vocant,

et acutis opponunt; ventriculum plerumque, et primae coctionis ſedes, mentem vero, ſenſuſque internos, et quos vocant ſpiritus, ſemper peculiari ritu afficiens, ipſamque vitam, plus minus, infelicem, prout hoc, vel illo ſaevierit gradu, reddens.

Origo nominis.

Affectus hyſtericus, vel hyſteria, audit ab ὑστέρα *uterus*; in foeminis enim, uterus medicis antiquis hujus mali ſedes habita eſt: in maribus vero hypochondriacus; a χόνδρος, *cartilago*, et particula ὑπὸ, *ſub*; quae quidem nominis origo morbum ſub cartilaginibus haerentem denotat. Graece etiam dicitur πνὶξ ὑστερικὴ, quam Latini ſtrangulatum ſive ſuffocationem uteri vocant.

Permulti ſane fuere, morbi hujus natalium imperiti, qui ad aegritudinem potius quandam mentis, quam ad pravum corporis habitum, referendum eſſe hoc malum, et per animi tantum medicinam, quae in imaginatione, judicio et voluntate corrigendis, et in affectibus moderandis conſiſtit, curandum cenſuerunt. Rem vero aliter prorſus ſeſe habere, hominumque corpora etiam peſſime hoc morbo multari, abunde ſatis teſtantur, quos mala ſua noviſſe aequum eſt, hyſtericae et hypochondriaci. Affectus de quo agimus, cum actiones homini proprias aut omnino non exerceri, aut non ſine moleſtia, dolore citaque defatigatione peragi ſinat, morbus jure merito habendus eſt. Licet enim mentis imperium latiſſime quidem in corpus patere ſit fatendum; nemo tamen, me judice, eam eſſe phantaſias laſcivientis vim temere credat, quae non modo animum falſis impleat terroribus, ſed corpus etiam miris penitus modis, et ad inſtar omnium fere, quotquot uſpiam ſunt, morborum plectat.

Morbi ſigna.

SYMPTOMATA autem hujus mali ordine, quem res incerta capiat, enarranda jam deveniunt.

Eo

Eo igitur incipiente, gravitatis ſenſus exercitia vel modica excipit; laſſitudines ſponte naſcuntur et oſcitatio; ructus fiunt odore acido vel putri graves; ventriculus et inteſtina aegri tument et rugitu obmurmurant; ventriculus etiam dolore, multa nauſea, vomituque premitur; nunc frigore extrema corporis rigent, nunc ex improviſo cutis rubore ſuffunditur; pedum plantae volaeque manuum calore, praeſertim poſt paſtum, aeſtuant; langueſcit æger ſudoribus frigidis imbutus; modo aſtringitur alvus, fit modo fluor hujus nimius; urinæ autem tenuis et aquoſae magna vis reddita, hunc morbum, autore Sydenhamo, ab aliis facile ſecernit; dorſi dolor foeminas laceſſit, rarius autem viros; dolor etiam, varius licet ſemper et mutabilis, anteriorem nunc capitis partem, nunc poſteriorem, praeſertim vero frontem, ferit; cum autem poenas hiſce non abſimiles ab adacto in cerebrum clavo ſibi luendas eſſe fingunt mulieres, clavi hyſterici nomen huic dolori, quem vomendi deſiderium immane comitatur [a], inditum eſt. De ligaturis varia corporis membra coarctantibus interdum miſeri conqueruntur; muſcae, et varia rerum ſpectacula, oculis obvolitantia, viſum perturbant; tinniunt quandoque aures; eſt ubi ſtupore et ſomnolentia obtorpeat, eſt etiam ubi vigiliis et inſomnia torqueatur aeger; larga nonnunquam ſalivae copia exſpuitur; tumoribus oedematoſis pedes atque malleoli tenduntur; qui tamen in eo ab hydropicis recedunt, quod mane potius, quam veſperi, intumeſcant membra, et digiti impreſſi notam minus diu ſervent [b]; cor ſaepius, veluti concuſſum, intremit et palpitat; hanc autem palpitationem dolor circa cartilaginem Xiphoeidem aut ventriculi os ſuperius ſubſequitur. Sentitur pulſus

[a] Sydenham. diſſert. epiſt. ad G. Col.
[b] Sydenham. loc. citat.

ſus in ſiniſtro hypochondrio [a] : Tuſſis, hyſterica dicta, nonnunquam, licet oppido rara ſit, foeminis moleſta oritur. Dolores etiam colicos, iliacos atque nephriticos mentientes, ictero autem, corporis ſuperficiem adinſtar croci tingente, ſoluti, quandoque ingruunt. Corporis externa, dentes nimirum, maxillae, humeri, manus, crura et tibiae interdum dolent ; concitato autem ſanguinis motu, cruor ex ore, alvo, renibus naribuſque effunditur. Pulſus inter haec tardus plerumque eſt et exilis ; aliquando tamen ſubito magnus plenuſque evadit.

Si primis hiſce morbi ſtadiis non occurratur, omnia in pejus ruunt ; ore rejicitur materies bilioſa, viridi vel nigro etiam colore tincta : affici etiam incipit caput, mentis ſedes, quae cum garrulitate, tum iracundia et inquietudine, aut ſimilibus paſſionibus, metus horroriſque plenis, turbatur. Metus hinc atque deſperatio aegros concutit, ac plerumque tanta, ut ſe mox interituros putent, nullaque ratione in ſpem erigi et recreari poſſint ; mens incerta atque inconſtans huc illuc temere et ſine conſilio agitur, adeo ut hoc morbo aegrotantem verſiculi Horatiani haud nitide magis, quam vere, depingant :

—Mente minus validus, quam corpore toto,
Nil audire velim, nil diſcere, quod levet aegrum ;
Fidis offendar medicis, iraſcar amicis,
Cur me funeſto properent arcere veterno :
Quae nocuere ſequar ; fugiam quae profore credam ;
Romæ Tibur amem ventoſus, Tibure Romam.

Mulieres nunc in riſum effundi, nunc in lachrymas pariter immo-

[a] River. prax. med. p. 400. Pitcairn. element. med. phyſic. mathem. lib. 2. cap. 22.

immodicas ſolvi, nulla προφάσει manifeſta ſive illum, ſive has extorquente, nemini non eſt notum; abdomen ſpaſmis tentatur, intumeſcit aegrae venter; poſt haec incipit eſſe difficilis ſpiritus, creber, ac brevis; malum altius in fauces invadens, eas quaſi vinculo conſtringere, aut globo, uti loquuntur foeminae, praecludere videtur, prorſuſque ſpiritum intercipere, magno metu praeſocationis. Sopor quidam ac veternus inducitur, genae rubent, frigeſcentibus extremis corporis, caput fit vertiginoſum, obmuteſcit foemina: pulſus interdum obſcurus parvuſque eſt, ut ne percipi quidem poſſit. Hiſce in angoribus luctanti aegrae nervi omnes mirum ſane in modum diſtenduntur, nixus quam fortiſſimos pedibus, manibus, totoque jam corpore edit, adeo ut, licet alias mediocrium fuerit virium, jam omni adſtantium ope retineri vix queat: inter haec, incondita atque inarticulata quaedam vociferat, pectuſque ferit. Hinc mulier interdum corruens, velut attonita, jacet ſine motu, ſine ſenſu ullo, reſpiratione adeo parva et rara, ut nulla eſſe credatur, tanquam ipſa jam mortua extinctaque ſit: raro haemiplegia, vel morte, ſolvitur paroxyſmus hyſtericus; ut plurimum vero anima inter motus hoſce convulſivos leviter aegrae deficit, unde paulatim factus eſt acceſſionis finis; pulſus eſt validior magiſque conſtat; malae rubeſcunt; intellectus, ſenſus ac motus reſtituuntur, corpuſque firmari incipit.

Affectus hic graviſſimus foeminas magis, quam viros, laceſſit; neque tamen ab inſultibus, hyſtericos omni mala nota aemulantibus, immunes ſunt viri. Nicol. Tulpii obſervationes medicae [a] juvenis patricii hiſtoriam nobis exhibent, memoratu haud indignam. Hic ex pube primum doluit, ſed converſo, poſt

[a] Lib. 1. obſ. 9.

poſt menſem, omni doloris impetu, a pube, verſus latus ſiniſtrum, ilico male ſe habuit lien : adeo ut, preſſa, vel ſolo digito, regione lienis, contraherentur ſubito omnes nervi ; et ſequeretur confeſtim miſerabilis univerſi corporis diſtentio ; laedens iteratis ſuis circuitibus, uſque eo, mentem jam aliquoties labefactatam, et cum primis vim ipſius imaginatricem, ut crederet ſe, neſcio quem regem ; diſtribueretque non minus largiter, qualiacunque munera ; imo integras regiones ; ac ſi revera rerum potitus fuiſſet. Inſidente ipſi hac conceptae majeſtatis opinione, adeo profunde, ut ſumme excandeſceret, corriperetur que nervorum diſtentionibus, ſi quis majeſtatis oblitus, ipſum compellaſſet nomine uſitato. Narrat quoque Frid. Hoffmannus [a], aegrum ſuae curae traditum, cui paſſionis hyſtericae ſigna fere omnia, ſi ſpaſmos excipias, periodicis temporum intervallis aderant. Fidus denique ille morborum obſervator Sydenhamus [b] memorat aegrum, cui a febre, ſanguinis miſſione, diaeta tenui et pharmaco cathartico ſaepius exhibito plurimum imminutae eſſent vires, in tantas ſolvi lachrymas, quantas vix alias viderat unquam, cum gemitu ac ſuſpiriis tantum non convulſivis.

Affectus hyſterici miro quodam conſenſu, ſive aſpectu hoc fiat, ſive maligno afflatu, in alias atque alias mulierculas immigrare ſolent: vidimus enim, haud ita pridem, in regio hujus urbis Noſocomio, foeminas, paroxyſmis hyſtericis antea nunquam tentatas, ſtatim, dum alienorum malorum teſtes adſtarent, violenter in hos rapi ; ab hyſtericarum dein conſortio ſemotas, hiſce etiam affectibus liberari.

Tem-

[a] Oper. vol. 3. ſect. 1. cap. 6. obſ. 14.
[b] Loc. antea citat.

Tempeſtate humida et frigida, ſubito poſt calidam ſiccamque ingruente, inſtante plenilunio, aut catameniorum periodis, praeſertim ſi uterus ſolenniter, uti par eſt, non purgetur; aut denique ratione victus perperam inſtituta, hic affectus, (quem melancholiam demum, morbum comitialem, apoplexiam, hydropem, phthiſin, aut etiam mortem, ſi diu permanſerit, induxiſſe animadverſum eſt) peſſime exacerbatur et recrudeſcit.

Recenſuimus, ni fallor, praecipua hujus morbi ſigna; quod ſi nonnulla aut penitus omiſſa, aut lucido parum ordine prolata, videantur; veniam me, qui Sydenhamum ipſum cauſam meam orantem habeam, apud lectores impetraturum confido. "Dies enim" inquit ille "me deficeret, ſi omnia, quae affectus hyſtericos gravant, ſymptomata annumerare velim, tam "diverſa atque plane contraria ſpecie variantia, quam nec Proteus luſit unquam, nec coloratus ſpectatur chamaeleon; neque tantum multifaria ſunt illa, ſed nec regula aliqua aut typo uniformi ſe contineri patiuntur, quod in aliis tamen affectibus uſu venit, ſed farrago ſunt quaedam φαινομένων incompoſita atque inordinata, unde perarduum eſt hujus morbi hiſtoriam deſcribere."

Morbi hiſtoriae cadaverum quorundam ſectiones, ut ratio hujus melius pateſcat, ſubnectere alienum non videtur.

Cadaverum ſectiones.

Dicit autem Williſius [a], ſe meſenterii laminas a ſe invicem divulſas, illaeſis interim aliis viſceribus atque utero, in foeminis, hoc morbo extinctis, inveniſſe; nonnullas autem mulieres, affectibus hyſtericis ſubinde, dum ex aliis morbis aegrotarent, petitas, nervos, jam jam in occipite naſcentes, ſero acri penitus

tus

[a] Patholog. cereb. cap. 6.

tus demersos post mortem exhibuisse; utero se recte satis habente.

Puellae, passione hysterica mortuae, uterus atque omnia viscera, si fidem habeamus D. De Graafio, [a] sana inerant; huic autem cordis thalami coacto sanguine oppleti sunt.

Aperto foeminae nobilis cadavere, nil mali, praeter calculum, renum alteri inhaerentem, repertum est: haec tamen, dum in vivis esset, magnis suffocationibus, languoribus frequentibus miseram prorsus, uti nos docet D. Mauriceau [b], vitam traduxit.

Bonetus [c], in sepulchreto suo anatomico, hystericarum, quibus uterus fuit incolumis, sectionibus bene multis historiam medicam ditavit. Aliis vero uterum et ovaria schirro, atque id genus tumoribus, aut materie quadam aliena referta, induruisse, idem Bonetus etiam auctor est.

Hypochondriacorum mala haud frequentius a liene, quam hystericarum ab utero, pendere; viris autem, aeque ac foeminis, viscera quaedam schirro obsideri, sano saepe his utero, ut et illis liene, luculenter satis evicit Boneti sepulchretum anatomicum jam laudatum.

Hypochondriacorum cadavera amplius quinquaginta Sylvius rimatus est; his tamen omnibus lien integer fuit [d]. Licet igitur splenem nonnullis aegris intumuisse, fidem fecerit autopsia [e]; hunc tamen morbum a splene ineptius utcunque nomen sortitum esse, observata medica abunde probant. Cheyneius [f] vero,

[a] De succ. pancreatic. cap. 9.
[b] Liv. 3. cap. 21. vol. 1. Maladies des femmes grosses.
[c] Tom. 3. lib. 3. cap. 33.
[d] Olaus Borrich. apud Th. Barthol. cent. 3. Epist. 97. Highmor. de morb. Hyp. Littre histoir. de l'acad. 1700. obs. 7.
[e] Bonet. loc. citat.
[f] English Malady.

ro, (teſtis locuples ſane et idoneus, ſi quis alius, in hac re) quaedam ex aegrorum viſceribus, ſchirro aliiſve tumoribus obſtrui vel laedi perhibet. Meſenterii quandoque venae turgidae ſunt et varicoſae [g]. Mira autem res eſt, nulla quandoque tanti mali veſtigia omnino manere.

Causae hujus morbi, proximae dictae.

De hujus morbi natura cauſiſque proximis magnae lites auctoribus moventur. Uterum vero exinanitum et reſiccatum ex appetitu humidi ſurſum, hepar verſus, intra abdomen ſe trudere voluit Hippocrates [a]. Galenus [b], contra, uterum a liquorum vel vaporum copia nimia ſurſum intendi ſtatuit. Fuere autem qui ab humore, neſcio quem, venenato, Theſſalis carminibus, vel faſcinanti oculo, natum hunc eſſe morbum reputarunt. Hae quidem opiniones, falſae admodum et erroneae, medicis pleriſque omnibus, ante inventum ab immortali Harveio ſanguinis circuitum, ſatis arriſerunt. Exinde vero, cum anatomia felicius excoli coeperit, vana haec et commentitia minus placebant. Williſius cerebri nervorumque anatomen diligentiſſime primus excoluit, et organorum horum officia quoque et functiones non minori induſtria, aut ingenii acumine, eruere tentavit: morbis dein, qui cerebrum et nervos imprimis occupant, dogmatice, quod aiunt, explicandis, et congruenter doctrinae Harveianae, operam dare non gravatus eſt. Quanquam vero multa in hiſce rebus, fertili et luxurianti quo praeditus erat ingenio, ſubtilius quam verius fuerit commentatus; pleroſque tamen medicos, qui poſt eum ſcripſere, ſententiae ſuae de morbi hyſterici et hypochondriaci natura, et pri-

C ma-

[g] Guarinon. conſ. 484. Lud. Mercat. tom: 3: lib: 1. cap: 17:
[a] Morb: mulier. lib. 1. ſect. 5: p. 592.
[b] Lib. 6. de loc. affect.

maria ſede, adſentientes habuit. Inter quos non parum autoritatis eidem conciliavit magnus Sydenhamus. Williſius autem ſtatuit morbi hyſterici et hypochondriaci unam eandemque naturam et rationem eſſe, unamque ſedem primariam ; videlicet cerebrum et nervos inde oriundos : falſo autem incuſari in mulieribus uterum, in viris lienem, ventriculum, vel viſcus aliud quodvis, tanquam horum malorum praecipuas officinas, et domicilia ; eaque, cum afficiuntur, ſecundario tantum et ſymptomatice laborare.

In hanc Williſii ſententiam, rationum, uti mihi videtur, momentis innixam, confirmatamque ſectionibus cadaverum jam memoratis, quidni eamus ? Viſcera certe laeſa et ſchirris obſita, quae morbi ſaepius effectus potius quam cauſae videantur, ab hac ſententia dimovere nos non debent. Quod ſi viſcera, ante omnia vero ventriculus, tumoribus vel alia quavis ratione laeſa, huic malo anſam praebuiſſe ſit fatendum, non ideo tamen falſa ſint quae diximus neceſſe eſt ; nervis enim male affectis, cibi rite digeri et coqui nequeunt ; cibis autem e contrario, vitio inteſtinorum, male ſubactis, ſpiritus animales pravi forſan ſecernantur ; unde vaſorum tenera laxaque compages, et exquiſita nervorum mobilitas. Utcunque vero ſeſe habeat neceſſitudo illa, ſive commercium, quod nervos inter atque viſcera intercedit, corpora infirma in ſpaſmos omneſque nervorum affectus agi quam facillime, quotidiano uſu compertum eſt. Hinc teneri infantuli, quibus dentes erupturi ſunt, aut febris, variolas praegreſſa, inſtat ; hinc etiam aegri omnes, quorum vires morbis diuturnis, evacuatione nimia, aut quarumcunque rerum nonnaturalium abuſu franguntur, nervis levi quavis de cauſa irritandis et diſtendendis dolent. Remedia denique huic malo

malo appoſita, quae ſcilicet corpus roborant firmantque, a debilitate ortum ſatis probant.

Causae remotae numerantur.

Cauſae remotae.

1. Naſcendi conditio.—Lienoſos enim ex lienoſis gigni notavit olim Hippocrates [a]. Ea eſt quibuſdam pueris nervorum viſcerumque debilitas, veluti ex traduce accepta, ut ad hunc morbum nati pene factique videantur.

2. Sexus ſequacior.—— Foeminae, humani generis conſervatrices a natura deſtinatae, huic morbo, ex delicatulo magis rariorique corporis habitu, qui vitae molliori conveniat, maxime obnoxiae finguntur. Huc etiam accedunt laxitatis debilitatiſque cauſae, quae praeter naturam his fiunt; menſium volo lochiorumque ſuppreſſionem morboſam: neque vero iniqua adeo natura utuntur, quin de induſtria quaſi, prava nimirum vitae victuſque ratione, hoc ſibi malum frequentius arceſſant, quam acceptum referant naturae; quae enim, laboribus aſſuetae, duriter vitam agunt, ab omni plerumque horum affectuum ſpecie liberae ſunt.

3. Aër humidus tepenſque.— Hinc enim molleſcunt et relaxantur fibrae, uti aiunt, motrices; omneſque morbi ab elanguido fractoque nervorum tono oriundi, vel naſcendi hinc occaſionem vel incrementum capiunt. Frigus etiam penetrabile, quum corporis vaſa ſtringat nimis et humores cogat, hoc affectu laborantibus malum eſt; ſanguis enim canaliculis exilibus moveri hinc nequit; unde fiunt ſpaſmi et corporis extremorum frigus: occluſis vero cutis ſpiraculis, acres putridaeque ſanguinis particulae, quas foras ejici oportuit, retentae, ventris

[a] Lib. de morbis ſacris.

tris tormina excitant. AEstate igitur hystericae et hypochondriaci rectius plerumque se habent quam hyeme et autumno. Hisce etiam malis opportuniores sunt, qui terrae plagas septentrionales incolunt, quam qui coelo miti et placido fruuntur.

4. Cibi crassi, viscidi, inertes, aëre foeti; quales sunt cuncta fere legumina, fructus fugaces, acetaria, &c.— Frisios, tali victu utentes, hoc morbo saepissime dolere scribit Blancardus [a]. Haec quidem duris messorum iliis impune subiguntur; carnes autem animalium hominibus, literis otioque deditis, crassae, durae et coctu difficiles evadunt. Vinum quoque et liquores, ardentes dicti, sine modo ingurgitati, ventriculi vigorem minuunt ciborumque cocturam turbant; hinc Angli, quibus Bacchi munera cordi nimis sunt, hoc morbo pessime vexati, nomen ei dederunt. Infusa etiam theae et coffeae, quae multi ex nostratibus, tam viri quam foeminae, usque et usque pitissant, ventriculum humido tepore pessundant obruuntque.

5. Vita otiosa domique acta.— Corporis motus sive exercitia, ciborum coctionem juvant; sanguini, adeoque reliquis etiam humoribus, motum, fluorem, caloremque debitum conciliant: haec corpori atque etiam animo amica sunt; contraria autem omnino his sunt, quae quies nimia efficit; viri quippe, literis operam navantes, uni fere semper sedi immorantur, chartisque impallescunt; nec longa est mora, quin hypochondriaci evadant; animum enim dum strenue exercent, corpus, deficiente motu, hebes fit et imbecillum.

6. Affectus animi, timor scil. et cupido, ira, moeror, gaudium.— Hi enim, dum mentem ex imo movent, corpus quoque

[a] P. 2. prax. cap. 61.

que variis modis afficiunt. Hinc appetitus dejicitur, et ventriculi vires nullae pene ſunt; funeſta hinc tabe homo depaſcitur; animi autem aegritudines quam citiſſime in corpus tranſire, in eo maxime, monente Sydenhamo, cernitur; quod, ingruente ira, ingens limpidiſſimae urinae copia extemplo profluat.

7. Inſomnia longa, ſive vigiliae.— De natura ſomni diu multumque medicis diſceptatum eſt, de uſu vero ſatis convenit. Motu corporis, vel ſtudio mentis acri, ſpiritus animales quaſi difflantur et in auras avolant; his deficientibus, corporis humorum interturbatur coctio atque ſecretio; e ſuccis autem crudis et male coctis hic morbus exoritur.

8. Uteri purgatio aut haemorrhois nimia [a], pauca, vel nulla.— Sanguis menſtruus, utero congeſtus et retentus, aut ſemen, neſcio quod, corruptum, Hoffmano aliiſque plurimis ſcriptoribus, ſola in foeminis hujus morbi cauſa habetur; male quidem: nec enim viris nuptas, quibus rite fluxerunt catamenia, hoc morbo immunes extitiſſe omnes [b]; aut quibus viri conſuetudine caruiſſe religioni fuit, eodem ſemper tentatas eſſe, [c] verum eſt.

Sanguis, qui utero efferri debuit, retentus, omnia corporis vaſa diſtendens et comprimens, vires aegrarum ſua mole, vel labe, perdit. Nimio autem hac via effuſo ſanguine, pereunt itidem vires, adeo ut eadem utrobique debilitatis ratio ſubſit.

Notandum vero eſt, ſanguinis fluxum e ſinu muliebri nonnunquam hyſtericis fieri quam effuſiſſimum; qui tamen fluxus, effectus vel ſymptoma hujus morbi cenſendus eſt [d].

[a] Hoffman. loc. citat. obſ. xi.
[b] Ibidem.
[c] Mauriceau maladies des femmes groſſes, loc. citat.
[d] Hoffman. loc. citat.

Affectus hyſtericus a fluore albo, acri et maligno, vel a mola, quae pure jam ſolvi coeperit, uteri cavum occupante, ortus eſt [a].

Mulieres quae a partu haud commode purgantur, affectibus hyſtericis vel ſaeviſſimis corripi quandoque ſolent [b]; quod malum iiſdem, ſi frigus ad imum ventrem ſuſcipiant, aut etiam praemature, hoc eſt, paucis a partu diebus, ſurgant, et ſeſe a lecto aliquamdiu abſtineant, evenit. A partu quoque nimis purgari quaſdam mulieres, in hos affectus praecipites dedit [c]; cujus quidem rei ratio ſatis eſt in promptu.

9. Vires aegri a morbis, ſive acutis, ſive diuturnis, fractae multum et detritae, vel etiam ἰδιοσυγκρασία, aut peculiaris corporis habitus.— De viribus naturae vel morborum vitio infirmis, tanquam cauſae horum affectuum, plura dicere non opus eſt: quod ſi vires ſatis conſtiterint, hiſce malis, niſi peculiaris corporis temperies a natura alicui data fuerit, locus eſſe vix poteſt.

Ἰδιοσυγκρασιῶν ſane, non aliter quam remediorum ſpecificorum, ratio, multam habet atque ancipitem diſceptationem, ne dicam futilem: cibos quoſdam vel medicamenta, quae ſapore dulci vel odore aliis placent, gravia fieri aliis et ingrata, omnes norunt. Inde vero factum utcunque videtur, quod nonnullae foeminae ab iis, quae dulcia ſunt, vel multo odore fumant, in paroxyſmos hyſtericos concitentur [d].

Ratio ſymptomatum.

Gravitatis ſenſus, quem veluti ſponte naſci, vel leves corporis motus excipere poſuimus, oriri ab inopia ſpirituum animalium

[a] Mauriceau, loc. citat.
[b] Sydenham. loc. citat.
[c] Frid. Hoffman. loc. citat.
[d] River. loc. citat.

malium, vel ab humorum crasi viscida et inerti, videtur. Causae, unde moventur corpora nostra, abditae quidem prorsus sunt aut obscurae ; motum vero corporis omnem vel a spiritibus animalibus, vel ab humoribus in vasa agentibus, pendere verisimile est : his igitur naturam alienam, crassam, pigramque sortitis, vel deficientibus illis, cerebrum inerti mole prematur, corpusque ad motus quoscunque prompte peragendos ineptum reddatur, necesse est.

Ventriculum hoc morbo male affici, haud est cur jure miremur : hic enim nervis quam plurimis instructus, cibos omne genus capit ; huic modo carnes animalium ingeruntur ; modo legumina vel fructus horarii ; nunc frigidis et calidis plus aequo riget vel exaestuat ; nunc liquoribus acidis vel ardentibus stupet et obtunditur : eo autem insaniae crapula quorundam atque ingluvies pervenerunt, ut esculentorum potulentorumque tantum non omnia simul ingurgitentur. Delirante igitur homine, ventriculus plectitur : copia enim alimentorum ad crepaturam fere turget ; humentibus, aquosis tepidisque languet et prosternitur. Cibi nimii, vel indole sua multum discrepantes, ventriculo ingesti, vires hujus obruunt ; coqui igitur, vel e corpore pelli, recte nequeunt ; quin obturato potius ventriculi cavo immorantes, in naturam quique suam, sive acidam sive putridam, sponte facessunt : ventriculus, fibris ejus irritatis, et in spasmos actis, dolet ; nausea etiam et vomitiones a muco viscido, vel ab ingestis nimiis, acribus et flatuosis, stomachum gravi onere aut stimulo lacessentibus, moventur ; ructus autem acidi vel nidorosi fiunt ab aëre, qui cibis olim delituerat, a calore vinculis suis jam soluto, atque per ventriculi os superius viam expediente. Neque rugitus, quo abdominis viscera tenduntur et perstrepunt, ab hac multum diversa est ratio : aër quippe

quippe, e cibis calore excuſſus, ventriculi molem ſenſim ſenſimque rareſcendo adauget; nervis vero (cum diuturna eſſe nequeunt, quae ſumma ſunt,) ab hac ipſa diſtentione quaſi reſolutis, aër, qua porta datur, effunditur; ore igitur aut ructu, uti dictum jam eſt, fertur, vel deorſum ad inteſtina quandoque delatus, ſpaſmis crebris, vi magna atque murmure iterum iterumque ſuperandis, intercluditur.

Gravitatis corporis fida ac perpetua fere comes eſt oſcitatio; hinc enim, aëre in pectoris ſinum uberius hauſto, diaphragma, quod ventriculus, aëre tumidus, loco ſuo moverat, deorſum abdomen verſus deprimitur: ampliato igitur thoracis cavo, pigri craſſique humores, qui pulmonum ambagibus haeſerant, ab aucti aëris pondere, tanquam a praelo, ſoluti, per omnia corporis loca melius diſperguntur.

Corporis extrema, procul a corde, caloris fonte, diſſita, ob fluidorum motum tardiorem, undecunque demum is ſit, frigore prae ceteris locis torpeant, neceſſe eſt. Rubor autem cutis, atque calor derepente, praeſertim a paſtu, orti, fiunt vel a ſtimulo quodam corpori extrinſecus nato, ab animi affectu graviori, vel a novis ſuccis ſanguini invectis: hinc enim ſanguis, incitato ejus motu, vel aucta copia, in vaſa non ſua pellitur; ab errore ſcil. locorum, quae rubrae ſunt hujus partes in vaſa, a natura ſero vel lymphae trajiciendae dicata, feruntur.

Thoracis anguſtia, ſpiritus difficilis, animi deliquium, ſyncope, et cordis palpitatio fiunt a ventriculo et tubo inteſtinali aëre, qui ob ſpaſmos ſurſum vel deorſum urgeri nequit, diſtentis: hinc enim ſeptum tranſverſum, cum et ipſum moveri jam fere neſcit, pulmoni appreſſum, hujus motum minuit; hinc etiam, occluſis imi ventris vaſis, uberior ſanguinis copia pulmoni cordique immoratur: ſummis igitur anguſtiis premitur

aeger,

aeger, dum graviſſimum hoc onus, neque a pulmone, neque a corde oppreſſo, amoveri poſſit. Motus interea corporis, unde plus ſanguinis cordi appellitur, acerbiora haec mala reddit. A diſtentione, in nervos cordis vel pulmonis traducta, cordis auriculae et thalami, binae huic appenſae arteriae majores, et ipſe pulmo, ſpaſmis nonnunquam convelluntur ; hinc ergo eandem tragoediam excitari poſſe, nemo non videt.

Vehementes cordis palpitationes comitatur dolor ad cartilaginem Xiphoeidem ; quoniam nervus phrenicus, qui ad ſiniſtram eſt, his cordis motibus ſubjicitur.

Alvus duobus potiſſimum de cauſis adſtringitur ; vel ſcil. ab inteſtinorum motu debili, vel ab humoribus coctioni alimentorum inſervituris, obſtructo hepate, ſplene aut alio quopiam viſcere, vel infirmis aegri viribus, depravatis. Contra, vero eadem profluit, quando ſpaſmi, ab acri materia excitati, liquores inteſtinorum irritando emunxerint.

Foeminis, quibus, menſtruis cohibitis, ſanguine uterus diſtenditur, dorſi dolor a conſenſu, qui uteri nervis et lumborum fit, oritur ; viris autem idem illud accidit, ab inteſtino duodeno, eo loci quo cum dorſi ſpina committitur, flatibus praeter modum turgido.

Ab incitato ſanguinis circuitu, vel a ſpaſmis cerebrum nervoſque laceſſentibus, caput dolet. Qui vero dolor, ſedem ſuam ſubinde mutans, clavus hyſtericus vocatur, irritationem quinti nervorum paris, quod fronti impenditur, cum colli primo communicatam, pro cauſa habet.

Vaſa encephali, ſanguine nimio turgeſcentia, cerebrum nervoſque hinc ortos comprimunt. Spiritus igitur animales ſecerni recte nequeunt ; deficientibus vero his, aut ſomnus levior obrepere, aut etiam veternus fieri, poſſit.

A ſpaſmis et vellicatione nervorum, aegri noctes dieſque inſomnes ſaepe agunt. Inde autem ſomnus maxime arcetur, ſi mens alicui vano metu atque terrore exagitetur: hinc etiam lurida amicorum ſpectra ante oculos diſcurrunt, aliaeque terrent inter ſomnia imagines turbidae.

Levia rerum ſimulacra, ante oculos volitantia, a ſpaſmis, oculi retinam leniter corripientibus, unde viſus axis nunquam fere non mutatur, oriri poſſe probabile eſt.

Infirmis aegris tuba, Euſtachii dicta, quae ad aurem a palato ducit, debilis facta et tanquam reſoluta, aëri, ore hauſto vel reddito, patulum magis iter praebet; hic vero ſpatia ampliora, dum calore expanditur, occupans, membranam tympani mollem laxamque undique pulſat; hinc variae ſoni imagines, ut ita dicam, auri exhibentur, mentemque turbant. Quod idem a ſpaſmis, arterias quae membranam tympani percurrunt occupantibus, incidere etiam poteſt.

Quibus hoc morbo perierunt vires, magnam ſalivae tenuis copiam quandoque exſpuunt, perinde ac ſi unguento ex mercurio illiti eſſent: cujus ſane laticis profluentis ratio a ſanguinis craſi ſoluta, et a ſecretionibus, quas per cutem et per alvum fieri oportuit, cohibitis, petenda mihi videtur.

Urina his aegris, inſtar aquae, tenuis eſt et pallida; quoniam ſal atque oleum, quae hominum recte valentium et exercitatorum urinae ſolent ineſſe, huic, propter motus corporis ſegniores, et debiliorem vaſorum in ſanguinem vim actionemque, minus ſuppetunt; quod ſi penitus non defuerint, ſpaſmo tamen, uti ſaepius evenit, conſtrictis renum vaſis, quod urinae aqueum eſt, retento ſale et oleo, tantum demittitur.

Dolor eum, qui inteſtinorum coli vel ilei eſſe conſuevit, aemulans, ut et qui pedes, dentes, humeros aliaſque partes occupat

cupat

cupat, a vaſorum ſtrangulatu, qui ſpaſmis debetur, ortus cenſendus eſt: hinc conſtricta ſplenis arteria, pulſus hypochondrii ſiniſtri ſentitur: hinc etiam utcunque omnium arteriarum ictus parvi fiunt et debiles, qui, ſpaſmo, harum tunicas antea convellente, laxato, fortiores evadunt atque majores. Cum autem pulſus his aegris nunc ſatis validus ſit, nec mora, quin deficiat omnino, aut multum concidat; a ſanguine, qui calore et frigore plus ſatis diffunditur aut comprimitur, hujus forſan ratio pendeat: hinc enim mala omnia, quae ſanguinis vel inopia vel abundantia nimia ſecum affert, facile naſcuntur.

Corporis noſtri humoribus rareſcendi vis quaedam ineſt; quae, uti a Cucurbitis patet, vaſorum vires, quibus eadem contra hos nituntur, longe exſuperat: neque profecto aëris, nos undique ambientis, pondus, humorum rarefactionem ſatis cohibet, niſi ad hoc etiam vires vaſorum integrae acceſſerint. AEgri itaque hoc affectu laborantes, cum vaſorum vires imminutas ſaepe habent, pulſum mollem, at pleniorem, hinc quoque habent.

Oſcula vaſorum oris, narium vel renum laxata, cruorem tenuem, ad motum vel leviſſimum, aut ob ſpaſmos derepente ortos, effundere minime mirum eſt.

Dolente corpore, mentem etiam una dolere, vulgus, aeque ac medici, norunt. Morbo aliquo gravi, undecunque is demum fuerit, corpori minitante, mens ſimul aegrotat; levato autem hoc, protinus ad ſe redit mens. Quum vero animi nexus cum corpore in totum pene nos latet, levitas illius et inconſtantia, unde falſo pariter gaudio atque terrore refici modo aegros, modo ſubrui prorſus videmus, ad inordinatos quoſdam ſpirituum animalium motus, a corporis intemperie, aut pravo habitu pendentes, me judice, referenda ſunt. Tacenda

cenda autem mihi haec potius veniunt, ne faciam intelligendo, quod nihil intelligam: reliquorum igitur, quae memoravimus hujus morbi, phaenomenôn rationes inire jam liceat.

Experiundo novimus, bilem liquoribus acidis admiſtam, aut impenſius hinc vireſcere, aut colore etiam nigro foedari [a]. Quidni itaque aegris hiſce, ante alios vero quibus herbarum fructuumque plurimum aſſumitur, vomitus praſinus, lividus, vel niger accidat?

Morbi paroxyſmus ab acri quopiam, ventriculum et inteſtina irritante, vel ab aëre diſtendente, ſaepius excitatur. Hinc enim totius corporis nervi, propter mirum illum, quo ſimul dolent et triſtantur, conſenſum, ſpaſmis motibuſque tremulis et convulſivis torquentur.

Uterum, e ſua ſede dimotum, inſtar globi cujuſdam, in ventriculum efferri antiqui medici voluerunt; huic etiam ſententiae, quam a tactu compertam exploratamque ſe habere ſcribit, ſuffragatus eſt Fernelius [b]. Praecordiorum ergo dolorem omnem, et ſpirandi difficultatem, quam nos globum hyſtericum dicimus, pro ſtrangulatu, ab utero aſcendente facto, habuerunt. Haec tamen vera eſſe nequeunt; uterus enim, (ut taceam, id quod notiſſimum eſt, viros hoc globo nonnunquam premi,) pectinis oſſibus, ope ſcil. ligamentorum, firmiter adnexus, e ſuo loco moveri non poteſt: foeminae autem, paſſione hyſterica extinctae, uterum incolumem, locumque, quem natura voluit, tenentem, exhibuerunt. Ab aëre itaque extenuato, dum per gulam vi ſumma exire nititur, ſpaſmis coërcito, globum hyſtericum oriri, ſane artis theoriae magis conſentaneum eſt. Hinc enim arteria aſpera, gulae adcumbens

[a] Huxam. de morb. col. Damnon. p. 19. &c. Bagliv. oper. p. 436. et ſeq.
[b] Patholog. lib. vi. cap. 16.

cumbens, non solum angustatur, sed et nervi glottidis a pari octavo, unde etiam gulae nervi, orti, in spasmos una cum his deducuntur. Miserrimis aegris, his malis aliquamdiu obrutis, anima deficit ; inde vero spasmi solvuntur, et, reclusa spiritus via, accessionis finis factus est.

Aër, e ventriculo in gulam pulsus, aortam descendentem, quae huic subjacet, comprimit ; hinc autem sanguine uberiori vasa capitis turgent, fit sopor et vertigo, aliique morbi ab encephalo praegravato nati.

Paroxysmi hysterici foeminas quasdam solenniter omni mense, instante plenilunio, invadunt; recurrunt autem ordine hoc constanti a luna, uti medicis nonnullis visum est, aërem, vi sua attrahendi, leviorem ac proinde magis humidam, efficiente.

Morbo jam inveterascente, sanguis humoribus crudis et serosis lentescit ; hinc autem morbus attonitus, comitialis, vel resolutio nervorum, aegris incumbit. Multi denique, dum corpus succis male coctis non alitur, hydrope aut extinguuntur, vel marcore paulatim consumuntur.

Prognosis

DIUTURNUS esse solet hic morbus ; raro autem lethalis. Ea igitur est natura, ut metus plus quam periculi ostentet. Quod aliis plerisque morbis usu venit, huic quoque accidit ; eo scil. magis acerbescit, quo diutius et frequentius aegro alicui insederit, aut plures ex iis corporis partibus, quas sanas esse permultum hominis interest, occupaverit. Sanitatem his medicina vix promittit ; quid enim ? oblatam eo usque respuunt, ut, cum in una mentis levitate constent, neque ciborum, neque remediorum, quae medicus suadet, sat longo usui velint insistere.

Habet autem hic morbus commoditates quasdam, unde incommoda sua minui saltem videantur.

Hystericae et hypochondriaci fibras laxas atque debiles, succos crudos et ad motum ineptiores, adeoque calorem corporis minorem, quam sani, habent ; hos ergo morbi acuti aut non omnino, aut non nisi graviori de causa, adoriuntur ; huc spectat illud Hippocratis [a], "Qui acidum eructant, non admodum morbo laterali tentantur." A febre autem, forte fortuna, detenti, facile, et cum magno suo bono, emergunt ; febris enim, diuturni exercitii vice fungens, cerebrum nervosque firmat, et vasa obstructa saepius reserat ; unde morbus prior a febre tollitur, aut multum certe levatur. Febres igitur, eas praesertim quae ex intermittentium numero sunt, in hos aegros cadentes, alere potius et sustinere, quoad vires ferant, quam cito nimis fugare, boni medici est.

Senectus porro, quae morbus plerumque et ipsa habetur, hoc affectu laborantibus, monente Cheyneio, pro sanitate est : senectutis enim cum sit corporis succos depascere, multaque vasa exilia, compingendo quasi, delere, robur firmitatemque his aegris eadem conciliabit.

Affectus hujus sanatio omnis in eo posita videtur, scil. ut,

Primo, Medenti cautum sit, ne incrementum morbus capiat.

Secundo, Humores crudi, ventriculo et intestinis stabulantes, eluantur ; reliqui vero debito fluore gaudeant.

Tertio, Symptomata graviora mitescant.

Quarto, Corpus aegri firmetur.

Morbi

[a] Aph. 33. sect. vi.

Morbi causae, quas pene omnes recensuimus, evitandae sunt aegro ; manentibus enim his, morbus non potest non manere, aut vires etiam non acquirere. Quod si aër humidus, frigidus et nebulosus in culpa fuerit, hic cum eo, qui tepore blando et modica siccitate prosit, mutandus est. Urbes, magna hominum frequentia celebres, his aegris inutiles prorsus sunt; aërem quippe fumo atque vaporibus densum inquinatumque habent ; rus autem aër purus et tenuis plurimum commendat. Rure igitur degentes aegri coelo liberiore fruantur : qui enim tempestatum vicissitudines provide nimis fugit, is profecto hoc mali sibi arcessit, ut his vel levissimis graviter laedatur.

Quod ad cibos potionesque attinet, modicus horum usus convenit quam maxime; dictum enim est, cum de morbi caussis egimus, a crapula et ingluvie hunc saepius oriri. Eam igitur alimentorum copiam, quam ventriculus facile subigat et coquat, sumere licet; quod ultra ingeritur, autore Hippocrate [a], nocet : " Attenuata longo temporis intervallo corpora, lente " reficere oportet; impura enim corpora, quo plus nutrias, " eo magis laedas."

Multum quoque interest, quo victus genere aeger utatur. Alimenta enim crassa, viscida, acria et pinguia vitanda sunt : quae vero blanda, levia et coctu sunt faciloria, in usum adhibeantur; qualia sunt, panis ex puro optimoque tritico confectus : olera lenia, tenera et igne cocta ; spinachia, lactuca, cichoreum, scorzonera : carnes albae et molles juniorum animalium ; agnorum scil. vitulorum, et pullorum gallinae : ex piscibus, aselli, troctae, astaci. Nulla denique ciborum varietate solicitandus aeger est ; ne plus assumat, quam concoquat.

Diaeta

a Sect: 2: Aph. x: et 7:

Diaeta illa, quae in lacte tota eſt, Sydenhamo adverſus colicam hyſtericam praecipue laudata, Cheyneio vero per omne morbi ſtadium decantatiſſima, permultis aegris, ob lactis indolem craſſam et ventoſam, obfutura mihi videtur. Quibus enim lac, in ventriculum hauſtum, aceſcit et cogitur, maxime nocet; his autem lac aſininum, vel tenue lactis vaccini ſerum, utile eſſe poſſit. Spiritus etiam cornu cervi, vel liquoris cujuſvis alcalini guttulae aliquot recenti lacti affuſae, quo minus aſſumptum hoc coëat, efficiunt.

Quod ad potum, his aegris commodum, attinet, optimus eſt aqua pura et levis, quae alimenta probe diluit; languidis vero admodum et infirmis vinum, aqua multa temperatum, atque etiam ſubinde vini meracioris hauſtus, concedendum eſt. Hujus tamen largior et quotidianus uſus, qui ventriculi fibras adurit, et ſanguinem multo igne exſiccat, procul exulet.

Haec quidem de diaeta perpetua pene ſunt; corporum tamen genera et duratio morbi obſervationes quaſdam deſiderant: neque enim mutationes ſubitae periculo carent; neque morbo incipiente, adeo ad amuſſim omnia exigi, ac quando idem jam adoleverit, oportet.

Ad primam autem hanc curationem abſolvendam corporis etiam exercitatio adhibenda eſt, quae ſemper antecedere cibum debet; pleno enim ventriculo chylus adhuc crudus in venas lacteas pellitur. Exercitationis autem finis eſſe debet ſudor, aut certe laſſitudo, quae citra defatigationem fit: quod enim magis eſt, vires frangit. Quum vero id exercitii genus, cujus impetus fere omnis in ventrem inferiorem fiat, his affectibus optime medetur, diu multumque ſingulis diebus equo vehi commodiſſimum eſt. Hinc enim grato labore, et ſine ullo virium diſpendio, omnes corporis partes agitantur, ante alias autem abdomi-

dominis viſcera, quae ex ſitu, quem obtinent, pendulo et fluitanti, ad ſuccuſſationum numerum hinc inde perpetuo moventur. Materies ergo vaſa obſtruens, aucta horum in fluida actione, reſolvitur, humoreſque corporis omnes debitum fluorem atque naturam induunt. Corpore autem ſub divo et in amoeno rure exercitato, excitatur atque reficitur animus; quem curis, ſolicitudine, omnique pathemate graviori, vacuum, dulcibus amicorum colloquiis, nullaque non, qua fieri id tandem poteſt, ratione, deliniri debere, medici fatentur.

II. Menstruis aut haemorrhoide praeter modum praeterque aetatem retentis, ſanguinis nimii, vaſorum vires facile ſuperantis, ſigna plerumque adſunt. AEgris itaque hoc affectu, ob menſtrua nimium cohibita, laborantibus, ſanguis ſub iiſdem fere menſium diebus, quibus ferri haec debent, mittendus eſt: hinc enim detracto, quod ſanguinis ſupervacuum eſt, curationem ſecundam optimo cum ſucceſſu inchoare licet. Quibus autem menſtrua nimium profluentia, aut vires multum detritae, affectus hujus cauſa extiterunt, his venam ſecare noxam peſſimam adlaturum eſt.

Rarius equidem corpori infirmo miſſione ſanguinis opus eſt. Remedia autem, unde humores crudi et pituita lenti, ventriculum et inteſtina occupantes, per os redduntur, vel ſubducuntur per alvum, eximios praeſtant uſus. Infuſa itaque tepida cardui benedicti, florum chamaemeli, plantarum alcaleſcentium; rad. ſcil. raphan. ruſtican. ſem. ſinap. aut pulvis rad. ipecacuan. cui nonnunquam, ubi validius poſtulant duriora corpora, tartari emetici granum unum aut alterum adjicitur, pro emeticis exhibentur. Alvus vero medicamentis, roborantibus dictis, qualia ſunt rad. rhei, ſuccus aloës, leniter ducenda eſt;

fortiora his raro, nec nisi magna muci copia intestina gravante, in usum revocare expedit; neque enim aegri haec facile aut impune ferunt. Saepius, prout res nata fuerit, praesertim vero quando alvus diu nimis astringitur, propinari debent haec remedia, tam cathartica, quam emetica: turbae autem hinc, inter operandum, excitatae, opiatis hora somni exhibitis, componantur.

Notandum est, quod emeticorum usus non solum in humoribus educendis ponitur; corpus enim quam validissime, duri ad instar laboris, commovet, vasorum omnium vim atque elaterem adauget; quos igitur humores pravos e corpore non evocat, subigit et comminuit: hinc remediis, liquores crudos et male coctos resolvendi virtute praeditis, quibus proxime erit locus, viam sternit optimam et facillimam. Horum autem in censum multa veniunt, quae stimulo, quem ventriculo et intestinis incutiunt, atque etiam putido odore, metam optatam attingunt. Hujusmodi sunt gummi resinosa; assa foetida, galbanum, ammoniacum, myrrha, sagapenum, &c. sapones arte facti; sapo Venetus, offa Helmontiana: sales neutri; tartarus regeneratus, tartarus tartarizatus, &c. fuligo; remedia etiam, quae a nervis nomen habent; castoreum scil. succinum, &c. hujus quidem olei guttulae iii. vel iv. aquae aurantior. infusae, paroxysmos hystericos cito solvunt, monente Riverio. In hunc autem usum medicamenta acria, ex mercurio et antimonio parata, multum a nonnullis practicis laudantur: quae tamen non, nisi cum grano salis, uti aiunt, adhibenda sunt; experiri enim prius decet quinam sint effectus gummi prius recensitorum; haec quoniam dum humores solvunt, vasa corporis firmant. Mercurius equidem viscida omnia potenter satis domat et incidit; corporis vero robur plus minus deterit: perpauci

pauci autem aegri dantur, qui antimonii et mercurii vim efferam ſine noxa ferunt. Niſi catamenia ſuppreſſa, vel abdominis glandulae, ſchirris novis inſeſſae, ortum his affectibus dederint, tanta medicamenta uſui eſſe poſſe non videntur: multa autem cautela opus eſt, ne ſchirri abdominis, longo jam tempore grandiores facti, et ſolvi neſcii, in cancros peſſimi moris inde abeant.

Huic denique intentioni proſpiciunt aquae minerales reſolvendi atque etiam adſtringendi viribus a chalybe donatae; Pyrmontenſes ſcil. vel Tunbridgenſes: ut et Bathonienſes vel Moffatenſes, tam ſulphure, quam chalybe, ditatae.

III. Affectuum horum ſymptomata graviora pacaturo, inquietudo et vigiliae, quibus miſere torquentur aegri, primo occurrunt: hæc autem diuturno uſu invaleſcentia, niſi opio ſolo, vel tinctura hujus, cui guttulae quaedam ſpirituum aromaticorum vel volatilium, ſpiritus nimirum ſalin. aromat. vel C. C. ne ſanguinis motus nimium obtorpeat, inſtillantur, ex voto ſedari, vel leniri, non poſſunt. Opio tamen uſque aſſueſcere, haud minus damni, quam ſpirituum ardentium uſus immodicus, his aegris apportat: levioribus itaque vigiliis gummi foetida rectius ſuccurrunt, ut et corpus, pro ratione virium, interdiu exercitatum, unde ſomni lenes, placidi, hominiſque naturae maxime convenientes.

Triſtes animi affectus ab humorum, uti videtur, motu tardiori, et corporis totius gravitate, pendentes, vino aliiſque calidis remediis, cardiacis dictis, levari excitarique ſolent; horum tamen viribus cito pereuntibus, malum ſaepius ingraveſcit: adeo ut languoribus ſummis urgentibus, et pro tempore ſolum, cum uſus horum perpetuus eſſe nequit, propinanda ſint iſta

reme-

remedia. Quae vero ad morbum funditus tollendum porriguntur, hic etiam magis quadrant.

Vomitum, aut diarrhoeam enormem, a ſpaſmis ut plurimum ortum, opio, prudenter exhibito, compeſcere aequum eſt. Salivae autem tenuis fluxus uberior, quem vomendi deſiderium comitatur, emetico, ex mente Cheyneii, ſiſtendus eſt.

Paroxyſmus hyſtericus graviſſimum hujus morbi ſymptoma merito cenſetur. Eo itaque accedente, omnia artis molimina in ſubſidium vocanda ſunt. Quae foeminae corporis habitu ſanguineo utuntur, iis detrahi debet ſanguis. Medicamenta dein contra ſpaſmos valentia, ſpiritus ſcil. volatiles, ſal. ammoniac. C. C.; julapia et enemata cum gummi foetidis parata; tinctura fuliginis; caſtoreum, &c. exhibenda ſunt. Quaecunque enim gravem tetrumque odorem ſpirant, ſive intra corpus ſumpta, ſive naribus admota ſint, paroxyſmis hiſce tollendis aut leniendis apprime inſerviunt. Tinctura cantharidum nonnullis pro ſpecifico eſt; dyſuria vero, hujus uſui ſuperveniens, malum auget. Sopor altus, veterni vel apoplexiae ſpeciem prae ſe ferens, exigit, ut corpus extimuletur humorumque revulſio fiat, vel ſcil. ope emplaſtri veſicatorii vel cucurbitae nuchae applicatae. Sternutamentum etiam, pulvere foliorum aſari naribus ingeſto, cieri debet: "Mulieri enim, uteri ſtran-"gulatu vexatae, ſternutationem ſuccedentem bono eſſe," Hippocrati [a] olim animadverſum eſt. Quae denique foetent omnia hic etiam locum habent. Corporis extremorum fricatio, ea praeſertim quae fit pannis laneis, quibus gummi benzoin vel thuris fumi excipiuntur, utilis eſt.

Ad ſpaſmos ſopiendos emplaſtrum antihyſtericum ventris regioni

[a] Aph. 35. ſect. 5.

gioni, ut et plantis pedum frigeſcentibus, ſummo cum fructu quandoque admovetur.

IV. Medicamentorum, quae, cum prudentia et conſilio adhibita, corporis vires firmant, ampliſſima quidem ſylva eſt. Haec ergo, ordinis et compendii cauſa, ad claſſes quaſdam, a lenioribus ad fortiora progreſſuro, mihi liceat revocare.

1*mo*, Oſtreorum teſtae, oculi cancrorum, creta, aliique pulveres, abſorbentes dicti, dum, ſuccos acidos et inutiles ad ſe attrahendo, vaſa corporis firmant, huic propoſito reſpondent.

2*do*, Vegetabilia amara; centaurium minus, carduus benedictus, ruta, (multum Boerhaavio laudata) flores chamaemel. rad. gentian. galang. major. calam. aromatic. cortex aurantiorum, &c. Aromatica; cortex winteran. cinamom. macis, nux moſchat. rad. valerian. ſylveſtr. (Cheyneio plurimi facta) gummi benzoin, camphor. &c. Alcaleſcentia, acria; naſturtia, cochlear. hortenſ. Rad. allii, raphan. ruſtican. ſem. ſinap. &c. Acido-auſtera, adſtringentia dicta; cortex querc. granator. rad. tormentill. biſtort. &c. Plantis quippe, amaris, aromaticis et acribus, vaſa corporis excitandi, humorumque motus promovendi, non eadem, neque diverſa tamen multum, vis ineſt: vegetabilia autem acido-auſtera fibrarum elementorum compingendi virtutem habent; horum vero uſus nimius ſanguinem cogit.

3*tio*, Cortex Peruvianus, chalybs et balnei frigidi uſus, reliquis fere omnibus remediis palmam praeripiunt; nihil enim vires aegrorum fatiſcentes potentius his ſuſcitat et refocillat.

Omnia autem haec medicamina, tempore alieno data, vires adeo non intendunt, ut frangant quam maxime et imminuant. AEgris itaque admodum infirmis, quibuſque viſcera mala ta-

be infici jam coeperint, quae leniter aſtringunt, parca refractaque doſi, medicus cautus prudenſque exhibet. Remedia enim forti ſtimulo aſtringentia, praeſertim acido-auſtera, humores cogunt, inflammationem febremque excitare, ut et ora vaſorum, in ventriculum et inteſtinorum tubum hiantium, occludere poſſunt.

Ferri uſus aegros debiles, atque acidis ventriculi laborantes, juvat; nocet vero calidis et bilioſis. Inde autem ferrum aſſumentibus prodeſſe novimus, ſi ructus, allii inſtar, faetentes, vel et ovorum rancidorum, pariantur, alvique faeces fere nigreſcant: haec enim acida inquilina a ferro ſubigi oſtendunt; unde calor, prius deficiens, corpori innaſcitur.

Ferri limati pulvis, teſtibus Sydenhamo, Boerhaavio et Hoffmanno, omnibus medicamentis, ab arte chemica inde paratis, longe praeſtat; ſali vero martis laus non exigua merito tribuitur. Sydenhamus chalybis uſui remedia cathartica, quae vires corporis plus minus labefactant, interponi debere negat: Quod ſi perturbationes magnas tum animi, tum corporis, chalybeata inducunt, horum uſum non ſtatim omitti, laudanum vero, aqua aliqua hyſterica miſtum, ſingulis noctibus propinari ſuadet. Merito quidem ut plurimum, in curatione horum affectuum, repudiantur purgantia; alvus tamen diu adſtricta, ventriculi inflatio et inteſtinorum tormina, hæc eadem exhiberi quandoque jubent.

Haud raro morbus hicce ſemel curatus revertit: eo itaque depulſo, hoc ſolum negotii medico datur, ut aegros, jam convaleſcentes, exercitiis et diaeta antea laudatis, quo minus recidivae opportuni ſint, uti moneat.

FINIS.